

tis et elationis volat, et gestorum tarditate procurata, celeritate præcedens, in manus hominum prævolat, ut quatuordecim Episcopis Orientalibus placuisse dicatur, non solum posse esse hominem sine peccato, et Dei mandata custodire,¹ nec nominato Deo juvante, sed tantum, si velit, ut videlicet tacita, pro² qua vehementissime pugnabatur divina gratia, restet, ut in sola epistola legatur infelix, et se ipsam decipiens velut victrix, humana superbia. Quasi non hoc se dixerit culpasse Joannes Episcopus, et velut gigantes montes adversus supereminentiam gratiæ cœlestis stratos³ tribus divinorum testimoniorum, tanquam fulminum, ictibus dejecisse.

At vero cum illo etiam cæteri Episcopi iudices, vel mente, vel ipsis auribus ferrent Pelagium dicentem: *Posse quidem hominem sine peccato esse, et Dei mandata custodire, si velit, diximus; nisi continuo, sequeretur: Hanc enim possibilitatem Deus illi dedit* (quod nesciebant illi eum dicere de natura, non de illa, quam in Apostolica prædicatione noverant, gratia); ac deinde conjungeret: Non autem diximus quod inveniatur aliquis ab infantia usque ad senectam, qui nunquam peccaverit, sed quoniam a peccatis conversus, proprio labore et Dei gratia possit esse sine peccato. Quod etiam sua sententia declararunt dicentes eum recte respondisse hominem, cum adjutorio Dei et gratia, posse esse sine peccato. Quid aliud metuentes, nisi ne hoc negando, non possibilitati hominis, sed ipsi Dei gratiæ facere videretur injuriam. Nec tamen definitum est quando fiat homo sine peccato, quod fieri posse, adjuvante Dei gratia, judicatum est. Non est, inquam, definitum utrum in hac carne concupiscentiæ adversus spiritum, fuerit, vel sit, vel futurus sit aliquis jam ratione utens, et voluntatis arbitrio, sive in ista frequentia hominum, sive in solitudine monachorum, cui non sit jam necessarium non propter alios, sed etiam propter seipsum dicere in oratione: *Dimitte nobis debita nostra*; an vero tunc perficiatur hoc donum, quando similes ei erimus, quando videbimus eum sicuti est; quando dicetur, non a pugnantibus: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*;

¹ Ed. Par. addit *sed et facile custodire.* (Not. Edit.)

² Alias *do.*

³ Alias *structos.*

⁴ Alias *contra.*

sed a triumphantibus: *Ubi, mors, victoria tua? Ubi est, mors, aculeus tuus?* Quod non inter catholicos et hæreticos, sed inter catholicos ipsos fortasse pacifice requirendum est.

Quomodo igitur credi potest Pelagium (si tamen hæc epistola ejus est), et Dei gratiam, quæ neque natura est cum libero arbitrio, neque legis scientia, neque tantum remissio peccatorum, sed ea quæ in singulis nostris est actibus necessaria, veraciter fuisse confessum, et veraciter anathematizasse quisquis contraria⁴ ista sentiret, quando in epistola sua, et facilitatem posuit non peccandi, de qua nulla in hoc judicio quæstio fuit, quasi iudicibus etiam de hoc verbo placuerit, et gratiam Dei non posuit⁵, quam confitendo et addendo, pœnam ecclesiasticæ damnationis evasit?

CAPUT XX.

REDARGUITUR ET CONVINCITUR PELAGIUS, QUOD ERRORES CŒLESTII FICTE ANATHEMATIZAVIT.

Est et aliud quod silere non debeo; in chartula defensionis suæ, quam mihi per quemdam earum nostrum⁶ Hipponensem civem, Orientalem autem diaconum, misit, fecit aliquid, quod aliter se habeat, quam gestis Episcopilibus continetur; quod autem habent gesta longe melius est, ac firmiter, et omnino enodatus pro Catholica veritate contra illius hæresis pestem. Nam cum eandem chartulam legerem, priusquam ad nos gesta venissent, nesciebam ea ipsa verba posuisse, quibus cum ibi⁷ adesset, usus est in iudicio; pauca enim, et non multum aliter se habent, de quibus non nimis curo.

Moleste autem ferebam quod aliquarum sententiarum Cœlestii, quas cum gestis anathematizasse perspicuum est, servasse sibi defensionem potest videri. Nam earum quædam sua negavit esse, dicens tantummodo pro eis non se debere satisfactionem, anathematizare attem in eadem chartula voluit, quæ ista sunt: *Adam mortalem esse factum, qui⁸ sive peccaret, sive non peccaret, esset moriturus; quod pecca-*

NOTÆ SUAREZ.

⁵ Alias *posueris.*

⁶ Alias *vestrum.*

⁷ Alias *sibi.*

⁸ Alias *quod.*

tum Adæ solum ipsum nocuerit, et non genus humanum; quod lex sic mittat ad regnum cœlorum, quemadmodum et Evangelium; quod infantes nuper nati in illo statu sint, in quo fuit Adam ante prævaricationem; quod neque per mortem, vel prævaricationem Adæ omne genus humanum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus humanum resurgat. Infantes, etiamsi non baptizentur, habere vitam æternam. Divites baptizatos, nisi omnibus abrenuntiaverint, si quid boni videntur facere, non illis reputari, neque habituros illos regnum cœlorum. Ad ista quippe in chartula illa ita respondit: Hæc omnia, secundum ipsorum testimonium, a me dicta non sunt, nec pro eis debeo satisfactionem. In gestis autem ad eadem ipsa ita locutus est: Secundum ipsorum testimonium a me dicta non sunt, pro quibus ego satisfacere non debeo; sed tamen, ad satisfactionem sanctæ Synodi, anathematizo eos qui sic tenent, aut aliquando tenuerunt.

Cur ergo non ita et in illa chartula scriptum est? non multum, ut opinor, atramenti, nec litterarum, nec moræ, nec ipsi¹ chartulæ, si ita fieret, impenderetur. Sed quis non credat, id fuisse procuratum, ut tanquam pro gestorum illorum breviatione ista charta usquequaque discurreret, ubi non putaretur, non² esse ablatam quamlibet earum sententiarum defendendi licentiam, quod ei tantummodo objectæ, nec ei³ approbatæ fuissent, non tamen anathematizata, atque damnata?

Postea etiam de libro Cœlestii capitula sibi objecta in eadem chartula multa congessit, neque his intervallis, quæ continent gesta, duas responsiones, quibus eadem in capitula anathematizavit, sed unam simul omnibus subdidit. Quod studio brevitatis factum putarem, nisi plurimum ad id, quod nos movet, interesse perspicerem, ita enim clausit: Iterum dico, quoniam ista et secundum eorum testimonium non sunt mea, pro quibus, ut dixi, satisfactionem non debeo; quæ autem mea esse confessus sum, hæc recte me dicere affirmo; quæ autem dixi mea non esse, secundum iudicium sanctæ Ecclesiæ reprobato, anathema dicens omni contravenienti sanctæ et catholi-

NOTÆ SUAREZ.

¹ Alias *ipsius.*

² Alias *deest particula non.*

³ Alias *ejus.*

⁴ Alias *ut ad hoc pertineret etiam, quod.*

⁵ Alias *dicere.*

⁶ Alias *itaque.*

cæ Ecclesiæ doctrinis, similiter et his qui falsa fingentes nobis calumniam commoverunt. Hunc ultimum versum non habent gesta, sed nihil ad rem, de qua solliciti esse debemus. Sint enim prorsus anathema, et hi qui, falsa fingentes, eis calumniam commoverunt.

Sed cum primum legi: Quæ ante dixi mea non esse, secundum iudicium sanctæ Ecclesiæ reprobato, nesciens, quoniam hic tacitum est, et gesta non legeram, nihil aliud existimavi, quam eum fuisse pollicitum, hoc se de his sensurum capitulis, quod Ecclesia non jam iudicasset, sed quandoque iudicaret, et ea se reprobaturum, quæ illa non jam reprobasset, sed quandoque reprobaret, ut huc pertinent etiam quæ⁴ adjungit, anathema se dicente⁵ omni contravenienti, vel contradicenti sanctæ Catholice Ecclesiæ doctrinis. Verumtamen, ut gesta testantur, jam de his Ecclesiasticum iudicium ab Episcopis quatuordecim factum erat; secundum quod iudicium se dixit, ista omnia reprobare, et anathema dicere his qui, talia sentiendo, contra iudicium veniunt, quod jam factum fuisse gesta indicant. Jam enim dixerant iudices: Quid ad hæc, quæ lecta sunt capitula, dicit præsens Pelagius, monachus. Hæc enim reprobat sancta Synodus, et sancta Dei Catholica Ecclesia.

Sed hoc qui nesciunt, et istam chartam legunt, aliquid illorum licite posse defendi, tanquam non fuerit iudicatum catholice contrarium esse doctrinæ, paratumque se Pelagius dixerit, id de his rebus sapere, quod Ecclesia, non iudicavit, sed iudicaverit. Non ita⁶ sic scripsit, tamen de qua nunc agimus chartula, ut cognosceretur,⁷ quod habet gestorum fides, omnia scilicet illa dogmata, quibus eadem hæresis proserpebat, et contentiosa convalescebat audacia, Ecclesiastico iudicio præsentibus quatuordecim Episcopis esse damnata. Quam rem, si ut est, innotescere timuit, se potius corrigat, quam nostræ, licet seræ, vigilantia qualicumque succenseat. Si autem hoc eum timuisse⁸ falsum est, et sicut homines suspicamur, ignoscat, dum tamen ea quæ gestis, quibus auditus est, anathematizata et reprobata sunt, de cætero oppugnet, ne parcendo

⁷ Est tamen obscurus locus, et videtur corruptus, forteque sic legendus: *Nam ita ipse scripsit in ea, de qua nunc agimus, chartula. Et postea supplendum: Et animadversum a nobis est, ut cognosceretur, etc.*

⁸ Alias *tenuisse.*

illis, non solum hæc antea credidisse, sed credere videatur.

CAPUT XXI.

CONCLUSIO ET SCOPUS TOTIUS LIBRI.

Proinde istum librum in tam gravi et grandi causa, non frustra fortasse prolixum, ob hoc ad tuam Venerationem scribere volui, ut, si tuis sensibus non displicuerit, auctoritate potius tua, quæ longe major est, quam nostræ exiguitatis industria, quibus necessarium existimaverit, innotescat, ad eorum vanitates contentionesque opprimendas, qui putant, absolute Pelagio, iudicibus Episcopis Orientalibus illa dogmata placuisse, quæ adversum Christianam fidem et gratiam, qua vocamur et iustificamur, perniciosissime pullulantia, Christiana semper veritas damnat, et istorum etiam quatuordecim Episcoporum auctoritate damnavit, quæ simul et Pelagium, nisi ab eo essent anathematizata, damnasset. Nunc jam quoniam reddidimus homini curam fraternæ charitatis, et de illo, ac pro illo nostram sollicitudinem fideliter promisimus¹, videamus breviter, quomodo possit adverti, etiam illo (quod clarum est) apud homines absolute, hæresim tamen ipsam, divino iudicio semper damnabilem, etiam iudicio quatuordecim Episcoporum Orientalium esse damnatam.

CAPUT XXII.

QUOMODO POTUERINT, ABSOLUTO PELAGIO, DOGMATA ILLI OBJECTA DAMNARI?

Hæc est illius iudicii postrema sententia. Synodus dixit: Nunc, quoniam satisfactum est nobis prosecutionibus² præsentis Pelagii monachi, qui quidem piis doctrinis consentit, contraria vero Ecclesiæ reprobatur et anathematizatur, communionis Ecclesiasticæ eum esse et catholicæ confitemur. Duo quædam satis perspicua de Pelagio monacho sancti Episcopi iudices suæ sententiæ brevitate complexi sunt. Unum quidem piis eum consentire doctrinis. Alterum autem Ecclesiæ fidei reprobare et anathematizare contraria. Propter hæc duo, communionis Ecclesiasticæ et Catholicæ pro-

¹ Alias *promissimus*.
² Alias *persecutionibus*.

nuntiatus est. Quibus ergo verbis ejus interim, quantum homines in præsentia de manifestis iudicare potuerunt, utrumque claruerit, omnia breviter recapitulando videamus. In his enim sibi objectis, quæ sua non esse respondit, dictus est reprobare et anathematizare contraria. Breviter ergo totam istam causam ita si possumus, colligamus. Quoniam necesse erat impleri, quod prædixit Apostolus Paulus: *Oportet et hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis*; post veteres hæreses multæ etiam modo hæreses, non ab Episcopis, seu presbyteris, vel quibusque clericis, sed a quibusdam veluti monachis³, quæ contra Dei gratiam, quæ nobis est per Jesum Christum Dominum nostrum, tanquam defendendo liberum arbitrium, disputant et conantur Christianæ fidei fundamentum⁴ evertere, de quo scriptum est: *Per unum hominem mors, et per unum hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic etiam in Christo omnes vivificabuntur*. Et in actibus nostris Dei adiutorium denegant, dicendo, ut non peccemus, impleamusque iustitiam, posse sufficere naturam humanam, quæ condita est cum libero arbitrio, eamque esse Dei gratiam, quia sic conditi sumus, ut hoc voluntate possimus, et quod adiutorium legis, mandatorumque suorum dedit, et quod ad se conversis peccata præterita ignoscit. In his solis esse Dei gratiam deputandam, non in adiutorio nostrorum actuum singulorum. Posse enim hominem esse sine peccato, et mandata Dei facile custodire, si velit.

Ista hæresis, cum plurimos decepisset, et fratres, quos non deceperat, conturbaret, Cœlestius quidam, talia sentiens, ad iudicium Carthaginensis Ecclesiæ perductus, Episcoporum sententia condemnatus est. Deinde post aliquot annos, Pelagio, qui magister ejus perhibetur, cum ista hæresis fuisset objecta, ad Episcopale iudicium etiam ipse pervenit. Recitatisque omnibus quæ in libello contra eum dato Heros et Lazarus, Episcopi Galli, posuerant, illis quidem absentibus, et de ægritudine unius eorum excusantibus, Pelagium ad omnia respondentem, quatuordecim Episcopi provincie Palæstinæ, secundum responsiones ejus, alienum a perversitate hujus hæresis pronuntiarunt; eam tamen hæresim sine ulla dubitatione damnantes. Approbaverunt enim, se-

NOTÆ SUAREZ.

³ Adde *incentæ sunt* vel quid simile.
⁴ Alias *firmamentum*.

cundum quæ ille ad ea quæ objecta sunt respondere, adjuvari hominem per legis scientiam ad non peccandum, sicut scriptum est: *Legem in adiutorium dedit illis*. Non tamen ex hoc eadem¹ legis scientia illam Dei gratiam esse iudicaverunt², de qua scriptum est: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Jesum Christum Dominum Nostrum*. Nec ideo dixisse Pelagium omnes voluntate sua regi, ut non eos regeret Deus. Respondit enim hoc se dixisse propter liberum arbitrium, cui Deus adiutor est eligenti bona, hominem vero peccantem ipsum esse in culpa quasi liberi arbitrii. Approbaverunt etiam iniquis et peccatoribus in die iudicii non esse parcendum, sed æternis eos ignibus puniendos, quoniam hæc se ille secundum Evangelium dixisse respondit, ubi scriptum est: *Isti ibunt in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*. Non autem dixerat, omnes peccatores ad æternum pertinere supplicium, ut merito contra Apostolum dixisse videretur, qui quosdam salvos ait futuros: *Sic tamen quasi per ignem*. Regnum Cœlorum ideo approbaverunt etiam in veteri Testamento esse promissum, quoniam testimonium dedit de Propheta Daniele, ubi dictum est: *Et accipient sancti Regnum Altissimi*. Hoc loco, vetus Testamentum intelligentes ab illo appellatum, non illud solum quod factum est in monte Sina, sed scripturas omnes canonicas ante adventum Domini administratas. Posse autem hominem esse sine peccato, si velit, non sic approbatum est, quomodo ab illo in libro suo positum videbatur³, tanquam hoc in sola potestate esset hominis per liberum arbitrium; hoc quippe arguebatur sensisse, dicendo: Si velit; sed quomodo⁴ nunc ipse respondit; imo quomodo id brevius, et apertius iudices Episcopi sua interlocutione commemoraverunt, hominem cum adiutorio Dei et gratia posse esse sine peccato. Nec tamen definitum est quando istam perfectionem Sancti assecuturi⁵ sunt, utrum in corpore mortis hujus, an quando absorberetur mors in victoriam.

Ex his etiam quæ Cœlestium dixisse vel scripsisse, tanquam dogmata discipuli ejus, sunt objecta⁶ Pelagio, sua quædam et ipse co-

gnovit, sed aliter se quam objiciebatur⁷ sensisse respondit. Hinc est illud, quod ante Christi adventum vixerunt quidam sancte et juste, Cœlestius autem dixisse perhibebatur, quod sine peccato fuerint. Item objectum est, dixisse Cœlestium, Ecclesiam esse sine macula et ruga. Pelagius autem dixit, dictum a se quidem, sed ita, quoniam lavacro ab omni macula et ruga purgatur Ecclesia, quam⁸ velit Dominus ita permanere. Item illud dictum a Cœlestio, quoniam plus faciamus, quam in lege et Evangelio jussum est. Pelagius autem de virginitate se dixisse respondit, de qua Paulus dicit: Præceptum Domini non habeo. Item objectum est affirmare Cœlestium, unumquemque hominem posse habere omnes virtutes et gratias, ac sic auferri diversitatem gratiarum, quam Apostolus docet. Pelagius autem respondit non se auferre gratiarum diversitatem, sed dicere, donare Deum ei, qui fuerit dignus accipere, omnes gratias; sic Paulo Apostolo donavit.

Has ex nomine Cœlestii quatuor sententias non sic approbaverunt Episcopi iudices, sicut eas Cœlestius sensisse dicebatur, sed sicut de his respondit Pelagius. Videtur enim quod aliud sit sine peccato esse, aliud sancte ac juste vivere, sicut etiam ante adventum Christi quosdam vixisse Scriptura testatur. Et quamvis non sit hic Ecclesia sine macula et ruga, tamen eam et lavacro regenerationis ab omni macula rugaque purgari, et etiam ita velle Dominum permanere: nam et ita permanebit, quia sine macula et ruga, utique in æterna felicitate, regnabit. Et quod perpetua virginitas, quæ præcepta non est, sine dubio plus sit quam conjugalis pudicitia, quæ præcepta est, quamvis in multis virginitas perseveret, qui tamen non sunt sine peccato. Et quod omnes eas gratias, quas loco uno commemorat, habuit Apostolus Paulus, quas tamen eum dignum fuisse accipere, aut non secundum meritum, sed potius secundum prædestinationem aliquo modo intelligere potuerunt: ipse enim dicit, Non sum dignus, vel, Non sum idoneus vocari Apostolus; aut eorum intentionem subterfugit verbum, quod Pelagius, quemadmodum posuerit, ipse viderit.

NOTÆ SUAREZ.

¹ Alias *eandem legis scientiam*.
² Alias *approbaverunt*.
³ Alias *videbitur*.
⁴ Alias *tunc*.

⁵ Alias *assecuti*.
⁶ Alias *objiciebantur*.
⁷ Alias *objiciebantur*.
⁸ Alias *quia*.

Hæc sunt in quibus Episcopi Pelagium pronuntiaverunt piis consentire doctrinis. Nunc similiter, recapitulando illa paulo attentius, videamus quæ illum contraria reprobare et anathematizare dixerunt. In hoc enim potius hæresi ita consistit¹. Exceptis ergo illis, quæ in adulatione nescio cuius viduæ in libris suis posuisse dictus est, quæ ille neque in libris suis esse, neque talia unquam se dixisse respondit, et eos qui talia saperent, non tanquam hæreticos, sed tanquam stultos anathematizavit; hæc sunt quibus hæresis illius dumeta pululare, imo jam sylvescere dolebamus: Adam mortalem factum, qui, sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset. Quod peccatum Adæ ipsum solum læserit, non genus humanum. Quod lex sic mittat ad regnum, quemadmodum et Evangelium. Quod infantes nuper nati in illo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem. Quod neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgat. Quod infantes, etsi non baptizentur, habeant vitam æternam. Quod divites baptizati, nisi omnibus abrenuntient, si quid boni visi² fuerint facere, non eis imputetur, neque regnum Dei possunt habere. Quod gratia Dei et adjutorium, non ad singulos actus detur, sed in libero arbitrio sit, et in lege atque doctrina. Quod Dei gratia secundum merita nostra detur, et propterea et ipsa gratia in hominis sit posita voluntate, sive dignus fiat, sive indignus. Quod filii Dei non possunt vocari, nisi omnino absque peccato fuerint effecti. Quod oblivio et ignorantia non subiaceat peccato, quoniam non eveniat secundum voluntatem, sed secundum necessitatem. Quod non sit liberum arbitrium, si indigeat auxilio Dei, quoniam propriam voluntatem habeat unusquisque aut facere aliquid, aut non facere. Quod victoria nostra ex Dei non sit adjutorio, sed ex libero arbitrio. Quod ex illo quod ait Petrus, divinæ nos esse consortes naturæ, consequens sit, ut ita possit esse anima sine peccato, quemadmodum Deus. Hoc enim in undecimo capitulo libri, non quidem habentis auctoris sui titulum, sed qui perhibetur esse Cœlestii, his verbis positum ipse legi. Quomodo quispiam, inquit, illius rei consor-

tium suscepit, a cuius statu et virtute esse extraneus definitur? Ideo fratres, qui hæc objecerunt, sic eum intellexerunt, tanquam ejusdem naturæ animam et Deum, et partem Dei dixerit animam. Sic eum³ acceperunt, quod ejusdem status, atque virtutis eam esse cum Deo senserit⁴. In extremo autem objectorum positum est, quod pœnitentibus venia non detur secundum gratiam et misericordiam Dei, sed secundum meritum et laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint misericordia.

Hæc omnia, et si quæ argumentationes ad ea confirmanda interpositæ sunt, sua negantem et anathematizantem Pelagium iudices approbaverunt. Et ideo pronuntiaverunt eum contraria Ecclesiasticæ fidei reprobando et anathematizando damnasse. Et per hoc quomodolibet ea Cœlestius posuerit, aut non posuerit, vel Pelagius senserit, aut non senserit, tanta mala tam novæ hujus hæresis illo Ecclesiastico iudicio damnata gaudeamus, et Deo gratias agamus, laudesque dicamus.

De his autem, quæ post hoc iudicium ibi a nescio quo cuneo perditorum, qui valde in perversum perhibentur Pelagio suffragari, incredibilem audacia perpetrata dicuntur, ut Dei servi, et ancillæ Domini, ad curam sancti Hieronymi presbyteri pertinentes, sceleratissima cæde afficerentur, Diaconus occideretur, ædificia monasteriorum incenderentur, vix ipsum ab hoc impetu atque incurso impiorum, in Dei misericordia turris munitior tueretur, taceendum nobis potius video, et expectandum quid illic fratres nostri Episcopi de his tantis malis agendum existiment, quibus eos dissimulare posse quis credat? Impia quippe dogmata hujusmodi hominum a quibuslibet Catholicis, etiam qui ab illis terris longe absunt, redarguenda sunt, ne ubique nocere possint quo pervenire potuerint. Impia vero facta, quorum coertio ad episcopalem pertinet disciplinam, ubi committuntur, ibi potissimum a præsentibus, vel in proximo constitutis, diligentia pastoralis et pia severitate plectenda sunt. Nos itaque, tam longe positi, optare debemus his causis talem illic finem dari, de quo non sit necesse, ubilibet ulterius iudicare; sed quæ nobis potius prædicare conveniat; ut

NOTÆ SUAREZ.

¹ Alias *consentit*; sed legendum *hæresis ista consistit*.

² Alias *nisi*.

³ Alias *enim*.

⁴ Alias *senserint*.

animi omnium, qui illorum scelerum fama usquequaque volitante graviter vulnerati sunt, Dei misericordia consequente sanentur. Unde jam hujus libri terminus iste sit, qui, ut spero, si sensibus tuis placere meruerit, adjuvante Domino utilis erit legentibus, tuo, quam meo

nomine commendator, et tua diligentia plurimis notior.

Explicit liber sancti Augustini ad sanctum Aurelium Episcopum de gestis Pelagii hæretici, contra adversarios gratiæ Domini nostri Jesu Christi.

FINIS PROLEGOMENORUM.

